

Madsen. f.

Catharina Hasebard

1578.










BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

ECLOGA

IN OBITVM PIISSIMÆ *AC CASTISSIMÆ MATRONÆ, CATHARINÆ HASEBARD, clarißimi viri, D: Doctoris PAVLI MATTHIÆ, Episcopi Ecclesiarum Selandiæ vigilantißimi, Coniugis dilectæ, quæ placidè in Domino obdormiuit, die 20. Septemb: Anno 1578. quo ipso die Annum ætatis 31. compleuit.*



HAFNIAE

Impreſsit Andreas Gutteruitz.


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

ECLOGA

MENALCAS. AEGON.

ACcipe quam tenui meditatur arundine Muſam,
Paule, tuus tenuis frondente ſub ilice vates:
Ille canit ſyluas, ſyluæ ſunt Præſule dignæ.
Accipe, quæ referunt Paſtores funera mœſti.
Funera mœſta tuæ nam deflent carmine coſtæ.
Alter erat maior, ſed erat minor alter ab annis.
Illi, vbi paſcentes ſeruauit Tityrus hædos,
Conuenêre: prior loquitur ſic ore Menalcas:
Me. *Aſpice. nam denſas hîc vndiq; cernimus vlmos,*
Et corylis mixtas præbentes tegmina fagos.
Aſpice. namq; nocet iam nulla canentibus aura.
His vmbris mecum ſuccede virentibus, Aegon.
Et ſi carmen habes: tenui precor incipe auena.
Mox ſequar: optato quoniam ſucceſsimus antro.
Aeg. *Pareo. Maiori nam fas parêre, Menalca.*
Heu, memini, Paſtor, ſummoq́; dolore recordor

Temporis illius, quo tota Selandia luxit
Præsulis, heu, tristi consortem morte peremtam.
Stridenti siquidem plaustro sum vectus ad oras
Hasniacas, sentes & olentia ligna ferebam,
Tristis vbi funus ducebat turba per vrbem.
Ah, si vidisses spectacula mœsta, Menalca:
Extinctam Nymphæ lugebant, ah, Catharinam:
Lugebant Nymphæ. nemus omne et flumina testes.
At coniunx, non iam coniunx, sed coniugis orbus,
Ille suæ cernens corpus miserabile costæ,
Non secus atq; Orpheus miseranda morte peremtam
Eurydicen lugens, noctesq; diesq; gemebat,
Dulcia non ipsum Musarum plectra mouebant,
Nec virides recreant Parnassi, vt antè, recessus:
Sed nuda veluti viduus considit in vlmo
Turtur & assiduo gemitu nemora astraq; pulsat:
Sic vitam ducit coniunx mœrore refertam,
Atq; vtinam luctus nunc pharmacon illud haberes,
Hausto Telemachus posuit quo protinus omnem
Luctum, nec multi meminit post ipse doloris,

Gratius

Gratius haud isto quicquam tibi, Paule, daretur.
Delitiæ formosa tui Catharina fuisti
Coniugis, & castis gratissima fœmina Musis.
Haud dedignata es nostros intrare penates,
Sint quamuis humiles & vili stramine tecti.
Tu decus omne tuis, decus vt sunt vitibus vuæ,
Vitis vt arboribus, segetes vt pinguibus aruis.
Spargite humum foliis, ornate virentibus herbis,
Pastores, tumulum, tumuloq́ inscribite carmen:
Hic ego Teutonico sata sanguine; casta, pudica,
Formosi coniunx Pauli formosa quiesco.
Me. Quàm sopor est fessis in gramine gratus, & æstu
Gratum, posse sitim saliente extinguere riuo:
Tam nobis gratum cecinisti carmen, & ipse
Dulcius haud nobis cecinisset Pastor Amyntas.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab Orpheo,
Carmine qui potuit syluasq́ ferasq́ mouere.
Nostra autem quamuis tibi cedit iure Thalia,
Hoc quocunq́ modo tamen ausa est dicere carmen.
Nos Catharina tuum tollemus ad æthera nomen:

Tu quoniam nobis pariter Catharina fauebas.
Aeg. Nil nobis isto sit munere gratius vnquam,
Munere quo sola est Catharina & carmine digna.
Me. Vitæ parca tuæ quamuis hic nulla pepercit,
Famæ parca tuæ nunquam tamen vlla nocebit.
Syluæ te celebrent, & amantes littora myrti,
Te quoq; nostra canat, quamuis sit rustica, Musa.
Dum rapidis altum sonat vndiq; fluctibus æquor,
Aequor dum pisces, volucrees dum nidus habebit:
Nunquam fama decusq́; tuum, nomenq́; peribunt.
Tu nunc excelsi miraris gaudia cœli,
Gaudia sancta suo meruit quæ Christus ouili.
Illic non pecori lupus insidiatur, at illic
Pax, ibi nulla dolum meditantur retia ceruis:
Aurea gens illic, est mundus & aureus illic.
Iure igitur læta resonant ad sydera voce
Montes, & lætæ dicunt tibi carmina rupes.
O nimium felix, ô terq́; quaterq́; beata.
Diuinis siquidem si credimus vsq; Poëtis,
Vita animæ superest semper, cœlumq́; subintrat,
Nec

Nec simul extincto cum corpore disperit vnquam.
Nam potare animas lethæi obliuia fontis
Nemo putat. meus hoc hospes non sentit Amyntas.
Ergò iam coniunx tua viuit, eamq; videbis,
Verus vbi extremo venturus tempore Pastor
Colliget ipse suos & ab hircis dirimet agnos.
Inter oues aderit tunc formosissima coniunx,
Ante tuos veniens lætos lætissima vultus,
Et veniet cultis, vt quondam culta, capillis,
Et nostram, quamuis sit splendida, phyllida vincet,
Nec veniet tristi, nec duro pallida vultu,
Sed nitor Ambrosiis membrisq; genisq; manebit.
Parce igitur lachrymis, animumq; recollige Præsul,
Nil opus est lachrymis, iam mœstum pone dolorem.
Aeg. Illa Sophocleo sunt carmina digna cothurno
Quæ canis: haud tantum recreantur rore cicadæ,
Nec thymus vllus apes tantum, nec flumina ceruos,
Hæc tua nos quantum recreantq; iuuantq; Menalca.
Ergo pro tali quid nunc tibi carmine reddam?
Accipe, quos tibi do calamos à Pane repertos,

Ipse

Ipse quibus rigidas deduxi montibus ornos.

Me. *At tu, quæ quondam mihi serta parauerat Aegle,*
Accipe, quæ nunquam Stimichon, licet optat, habebit.

Iohannes Iohan: Stagius
Hafniensis.



Johannes Christopson
[illegible]
1579